

potest) & sic ad processum inspectionem deveniendum est: ita tenuit Rota Romana in una Salmantina Canonica. 24. Maii 1595. coram Dom. Blancheto ibi: Non obstat, quod acta non sint integra, quia notarius testatur de continuato registro, fol. 24. &c. quam decisionem adducit ad litteram Joseph. Sese in tractatu de inhibition. cap. 8. §. 3. sub num. 174. eandem etiam ad litteram refert Prosperus Farinacius consilio 68. in decis. casus. crimin. numero 13. & 14. Bene etiam facit doctrina Sigismundi Scaciae tractatu de appellatio. questione 20. n. 16. dum dicit, in tantum incumbat onus probandi, acta non esse integra, asserenti, ut maxime procedat, quando copia processus esset à notario intitulata hoc modo (Copia omnium Actorum) tenet etiam obiter Giurba decis. 29. sub n. 13.

57 At tum receditur à fide tabellionis, cum postmodum in eo processu apperent alia acta, quæ verè defuerant, tunc enim oppressus non indiget alia probatione, cum ipsa quidem faciat variare fidem tabellionis, contra quem, cum sit laicus, poterit tribunal ob falsitatem procedere, & convictum punire, & graviter animadvertere, nisi aliter de sua innocentia vel appareat, vel doceat, scilicet, illa acta penes judicem remansisse, eo tamen inficio.

58 Obiter tamen ex superscriptis unum non omitam,



quod distinguendo asserit Giurba decis. 29. n. 7. cum sequentibus, sequutus Muscatellum de appell. part. 1. glossa prosequendum, num. 57. 58. & 59. quod tunc erit nulla sententia ex actorum diminuta transportatione; si appellans sit in dolo, secus si in dolo non sit: sed miror tantos viros loqui adversus communem, & absolutam Doctorem, & Rotæ decisionum receptam sententiam, de qua nos supra, versiculo primo quoniam, à num. 12. qui omnes profitentur, sententiam ex capite actorum non integrorum esse nullam indistinctè ex rationibus de quibus nos supra, c. 2. §. 2. à princ. ubi etiam quia absque integris actis veritas deduci non potest; ergo sententia nulla dicenda erit: & quia si etiam omnibus actis integris iudex ferat sententiam in tam brevi tempore, quod præsumatur acta non vidisse, est nulla, ut diximus infra, 3. part. cap. 9. à n. 214. absque distinctione, an adsit dolus, necne; multò fortius ubi iura non inspicuntur, quia deficiunt; & quia passim videmus in iure, sententiam esse nullam ex defectu cujuslibet substantialis actus absque distinctione, an adsit dolus, vel non. Fateor etiam quod si adest dolus appellantis, etiam ex hoc capite simul dicitur nulla sententia ex non integris actis, non tamen est necessarius, & ita prædictorum Doctorem opinio nullatenus admittenda erit ratione carens.

TRACTA

TRACTATUS DE REGIA PROTECTIONE Vi Oppressorum Appellantium. PARS SECUNDA.

CAPUT I.

A sententiis merè interlocutoriis, vel vim diffinitivæ, damnum irreparabile, vel præjudicium causæ principali habentibus; an, & quando iudex Ecclesiasticus vim facere dicatur, appellationi non deferens, ad clariorem intelligentiam legis Regiæ, & decreti Tridentini.

SUMMARIUM.

- 1 Lex Regia 37. tit. 5. lib. 2. recop. declaratur.
- 2 Appellatio à merè interlocutoria sententia omni jure prohibita est.
- 3 Appellatur de jure canonico non solum à diffinitiva vim habente sententia, & damnum irreparabile continente, aut causæ principali præjudiciali; verum etiam à merè interlocutoria.
- 4 Hodie attentæ dispositione Concilii Trident. sess. 24. de reform. c. 20. non appellatur à merè interlocutoria, sed à diffinitiva vim habente, damnum irreparabile continente, vel præjudicium gerente causæ principali.
- 5 Idem in causis criminalibus disposuit Conc. Trid. sess. 13. de reform. c. 1. in fin.
- 6 Dispositio Concilii Trident. cap. 20. procedit in interlocutoria lata tam à iudice ordinario, quam à delegato, & tam in prima, quam in secunda instantia. Omnis dispositio, per quam redactum est ad jus commune, favorabilis est, & amplianda, ibid.
- 7 Appellare non licet de jure civili, & regio ab interlocutoria, nisi à diffinitiva, & diffinitiva vim habente, vel damnum irreparabile continente.
- 8 Regia majestas vestigiis semper Concilii Tridentini decretorum, maxime in violentiarum cognitione, inhaeret.
- 9 Appellatione interposita ab interlocutoria vim diffinitivæ habente, vel damnum irreparabile continente, vel præjudiciali causæ principali non sit delata, processus trahitur ad Senatû permissu legis Regiæ d. 37. ibid.
- 10 Appellatio non licet à citatione virtuale rescripti emanata, sed præcisè citatus tenetur per se, vel per procuratorem comparere suas exceptiones allegando.
- 11 Citatio realis dicitur captura persone. Que in causa civili non nisi in casibus remissivè positis fertur, ibid.
- 12 Appellatio à citatione reali non datur saltem quoad effectum suspensionum.
- 13 Alia est appellatio à captura, alia à præcepto de capiend. quod est ipsa citatio realis, ibid.
- 14 Salgado de Protec. Reg.

- 15 Appellatio nullatenus erit admittenda à præcepto de capiend. seu insarcendo ad effectum suspendendi executionem ipsius.
- 16 Iudex, qui reum incarcerare jubet, non obstante ejus appellatione, non innovat, sed jus publicum, ut delicta puniantur, conservat.
- 17 Appellatio si reum relaxaret à captura, frustratorium esset, carceres adificaret.
- 18 Quod dilationem non patitur, non suspenditur per appellationem.
- 19 Captura non recipit dilationem, quia periculum esset in mora. Fuga periculum sufficiens est ad impediendam, & excusandam citationem.
- 20 Citatio est de jure naturali & divino, ibid.
- 21 Appellatio datur à malè formata inquisitione, videlicet, in casu, quo non debuit formari; secus est si ex capite ignorantia malè formata dicatur, à qua non appellatur.
- 22 Appellatio licet à citatione civili continente brevior terminum, quam oportebat concedi.
- 23 Citatio continens ita nimis brevem terminum, ut intra eum non possit comparere, citatus, nulla est, & citatum non arctat, ibid.
- 24 Appellare licet à citatione verbali, vel civili peremptoria, qua delationes abbreviantur.
- 25 Appellare licet à citatione verbali facta ad locum non tutum.
- 26 Appellare licet à citatione reali, vel captura, quando captus dicitur in locum suspectum, & non tutum.
- 27 Locus dicitur non tutus, quando quis citatur ad locum peste, vel aeris contagio corruptum.
- 28 Exceptio citationis loci non tunc potest allegari à quocumque nomine gravati sine mandato, vel satisfactione, ibid.
- 29 Appellare licet à citatione verbali, à non citando, veluti quando delegatus cognoscens virtute rescripti contra unum in eo contentum, citat alium non contentum, etiam virtualiter, ibid.
- 30 Iudex tenetur admittere exceptiones dilatorias, vel peremptorias.
- 31 Appellare licet à iudice non admittente legitimas exceptiones, ibid.
- 32 Gravamen vexationis, seu fatigationis dicitur, quando iudex declarat, exceptionibus oppositis non obstantibus, ad ulteriora procedendum, sive sit declaratio tacita, sive expressa, & quod in hoc casu legitime appellatur.
- 33 Iudex litigare cogens tempore indebito, facit gravamen irreparabile per appellationem à diffinitiva.
- 34 Factum infectum esse non potest.
- 35 A iudice pronuntiante nullam ex exceptionibus oppositis esse admittendam, legitime appellatur, ibid.
- 36 A iudice rejiciente exceptionem peremptoriam, licet appellatur, quia talis sententia vim habet diffinitivæ.
- 37 Opponens exceptionem litis pendente, seu præventionis,

M

jurisdi-

- jurisdictionis, vel similium, si non admittatur, legitime appellatur.
- 32 Non minus est facere, quam dicere.
- 33 & 34 Processus est nullus, si iudex rejiciendo exceptionem oppositam, procedit ad ulteriora sine causae cognitione dictae exceptionis, ut in exceptione declinatoria.
- 35 Si iudex opposita exceptione statim ad ulteriora procedat, ut temporis brevitati videatur non adhibuisse causae cognitionem, noviter procedit.
- 36 A reservatione exceptionum oppositarum in finem litis, licite appellatur.
- 37 Iudex non potest cognoscere simul de emergenti, & negotio principali, quia esset confundere processum.
- 38 & 39 A declaratione iudicis super exceptione incompetentie, vel jurisdictionis defectu, licite appellatur, quia habet vim diffinitivam.
- 40 Quod etiam in causis scholarium procedit.
- 41 A rejectione exceptionis libelli inepti in quacunque causa licite appellatur.
- 42 Libello inepto, pars non tenetur respondere, & a iudice contrarium declarante licite appellatur.
- 43 & 44 Idem in libello obscuro, & generali resolvitur, quia est sententia interlocutoria habens vim diffinitivam.
- 45 A sententia, qua iudex reum absolvit a contestatione libelli, cum vim diffinitivam habeat, licite appellatur.
- 46 A sententia lata super exceptione legitimisationis personae, sive affirmativae sive negativae latae in exemplis ibi, licite appellatur.
- 47 Iudex vim facit non deferens appellationi super articulo prejudiciali interposita in causis etiam summariis.
- 48 Appellatio admittitur in articulo prejudiciali, quando contingit sive in litis processu, sive in executione.
- 49 Iudex vim facit non deferens appellationi interposita ab interlocutoria prejudiciali negotio principali.
- 50 Et ab interlocutoria, qua causatur difficultas circa causae decisionem.
- 51 Ab interlocutoria, qua iudex declarat fidei iussorem idoneos, vel minus idoneos licite appellatur, & appellatione non delata vim fieri declaratur.
- 52 Ab interlocutoria, qua iudex compellit, sive principaliter, sive in consequentiam debitorum, solvere pecuniam debitam minori, sine tutoris, aut curatoris auctoritate, licite appellatur.
- 53 A pronuntiatione iudicis declarantis, aliquem minorem, majorem, servum habilem vel inhabilem appellationi emisse si iudex non deferat, vim facit.
- 54 A sententia, qua iudex pronuntiat, aliquem non minorem, vel ei non esse concedendam restitutionem, appellationi interposita non deferens vim facit.
- 56 Idem quando pronuntiat, Procuratorem esse vel non esse legitimum.
- Appellatio licita est a non admissa exceptione defectus mandati, ibid.
- 56 Appellatio licita etiam ab interlocutoria, qua declaratur, tutorem esse vel non esse legitimum.
- 57 Appellare licet a declaratione iudicis dicentis aliquem esse heredem, vel non, cum beneficio legis inventarii, aut sine eo.
- Quod intellige in sententia, qua incidenter hoc declarat, ibid.
- 58 Appellatio licita a sententia, qua iudex incidenter declarat, testamentum, instrumentum, vel processum, vel actum nullum, etsi principaliter declaratur, dicitur diffinitiva.
- 59 Appellatio legitima a declaratione ordinarii declarantis in provisione beneficii seu capellaria proximioribus consanguineis conferenda ex ipsa fundatione, non esse oppositorem propinquiorem, vel in eo non adesse qualitates requisitas a fundatore, & non delata, vim fieri Senatus Regius declarat.
- 60 Appellationi interposita a denegatione copiae actorum si non deferat iudex vim facere declaratur.

- Acta iudicii tanquam publica, & communia utrique parti edi debent, ut se defendat, ibid.
- 61 Sententia qua iudex pronuntiat clericum remittendum remittit ad iudicem suum Ecclesiasticum interlocutoria habens vim diffinitivam dicitur, & ab ea appellatione emissa non delata vim fieri declaratur.
- 62 Sententia lata super exceptionibus peremptoriis, de quibus dicitur interlocutoria habens vim diffinitivam, & ab ea licite appellatur, quod declaratur, si incidenter proponantur exceptiones dictae, alias si principaliter, dicitur diffinitiva, ibid.
- 63 Appellatur licite a sententia, qua exceptiones oppositae a tutore nominato ad se excusandum, rejiciuntur, eique non deferens iudex vim facit.
- 64 Ab omni decreto, quo rejicitur beneficium a iure concessum, licite appellatur.
- 65 Sententia, qua iudex declarat tutorem interim non administrare, est interlocutoria, & non appellabilis.
- 66 Appellare an liceat a nominatione tutela remissive.
- 67 Appellatio an licita sit de exceptionibus oppositis remissive.
- 68 Exceptio relevans dicitur, cum provenit a causa, iustam causante appellandi.
- Exceptio relevans an sit arbitrio iudicis relinquitur ibi.
- 69 Appellans a rejectione exceptionis tenetur eam justificare, & probare alias gravamen non iudicatur.
- 70 Veritate exceptionis non probata, negotium ad iudicem appellationis non devolvitur.
- 71 Si veritas exceptionis per se patet, non indiget probatione.
- 72 Appellatio dicitur justificata a denegatione induciarum deliberatarum, ibid. a denegatione copiae actorum communium.
- 73 Appellatio legitima dicitur a processu ad ulteriora per iudicium recusatum, & justificata, licet causa recusationis probata non sint.
- 74 & 75 Appellatio justificata dicitur a rejectione exceptionis oppositae, & incontinenti ejus probatione oblata.
- 76 Appellatio interponitur non solum a rejectione exceptionis, verum etiam non admissa ejus probatione.
- 77 Appellatio justificata dicitur rejectione exceptionis peremptoriae, cujus probatio incontinenti oblata fuit.
- 78 Appellatio a rejectione exceptionis, cujus probatio oblata fuit, suspendit, devolvit, & attentata inducit.
- 79 Sententia diffinitiva, & processus factus a iudice post exceptionem legitimam oppositam, & ejus probationem ob eam dicitur attentatum.
- 80 Appellatio non erit legitima in casibus, quibus in arbitrio iudicis est exceptionem oppositam reservare, licet ejus probatio incontinenti offeratur.
- 81 & 82 Iudex potest reservare exceptionem oppositam contra testem, quod sit infamis, vel criminiosus ad publicationem, etiam si probatio incontinenti offeratur, & appellatio non erit justificata, quia tenetur justificare, & probare coram superiore.
- 83 Merus executor non recipit probationes & exceptionis oblatae.
- 84 Appellatio interposita a gravamine illato juris praesumptione, puta, a sequestro (etiam non expressa causa) legitima, & justificata est.
- Sequestratio regulariter probata est, ibid.
- 85 Appellatio interposita causa probabili, & verosimili, legitima est.
- 86 Appellatio legitima est a rejectione exceptionis recusationis, & a processu ad ulteriora recusatione opposita facto.
- 87 Sententia, qua iudex recusatum, vel non suspectum declarat, dicitur interlocutoria.
- 88 Recusatio, & appellatio ab interlocutoria equiparantur respectu formae, sed tamen quoad alios effectus.

- Ad suspensionem jurisdictionis adequatur appellatio, recusatio, & relatio, ibid.
- 89 Facta a iudice recusatio an sint nulla, vel annullanda, remissive.
- 90 A processu ad ulteriora facto per iudicem recusatum legitime appellatur.
- 91 A sententia arbitratorum juris negativa, scilicet, recusationem non esse admittendam, aut causam non esse legitimam, appellatio legitima.
- Periculosum est coram iudice suspecto litigare, ibid.
- 92 Ab articulo prejudiciali causae principali licita est appellatio.
- 93 Supplicatio habet locum in causa recusationis Senatorum.
- 94 In recusatione iudices Ecclesiastici arbitri leguntur, qui de causis recusationum cognoscunt.
- 95 Appellare licet ab arbitris juris.
- 96 A sententia arbitratorum juris affirmativa, videlicet, iudicem legitime recusatum, non appellatur.
- 97 A sententia arbitratorum, qua iudex legitime recusatus declaratur, potest ipsemet iudex recusatus appellare.
- Recusatus iudex, quando posuit sine metu attentari, & militatis ad ulteriora procedere, remissive, ibid.
- 98 Pronuntiatio de torquendo reo est interlocutoria.
- 99 Continet tamen damnum irreparabile, & ab ea appellatur, & tali appellationi non deferentem iudicem vim facere declarat. Senatus.
- 100 Sive decretum contineat torturam super principali negotio, sive ad habendam responsionem affirmativam, vel negativam.
- 101 Iudex opposita appellatione a decreto torture super sedere debet in causa, etiam si non sit inhibitis, vel inhibitis presentata.
- 102 Idem ante appellatorem ab eo, dum tamen sit intra tempus datum ad appellandum.
- 103 Confessio emanata a reo extorta per iudicem post appellationem a decreto torture, est nulla, & inefficax ad condemnandum.
- 104 Appellatio a decreto negativo torture licita an sit, & non deferre, vim fieri declaratur.
- 105 In iudiciis actor, & reus equiparantur, & quod licet reo, actori idem licere debet.
- 106 Appellare non licet a decreto negativo torture, resolvitur a nonnullis.
- 107 Iudex hodie raro pronuntiat, reum non torquendum.
- 108 Appellare licet a decreto negativo torture pro veteriori opinione, resolvit auctor.
- 109 Appellatio omni iure licita est a quibuscunque interlocutoris respicientibus merita causae, & negotium principale.
- 110 & 111 Appellatio a torture decreto interposita tempore executionis, quo ad notitiam pervenit condemnati, an suspendat, affirmant nonnulli, contrarium auctor.
- 112 Appellatio a comminatione torture licita est, ibid.
- 113 Appellatio legitima a sententia interlocutoria quae secum trahit paratam executionem, de iure est.
- 114 Appellatio legitima a sententia excommunicationis per decretum interlocutorium prolata.
- Appellatio legitima a sententia, qua pronuntiat super compromittendo, vel non ex forma statuti, ibid.
- 115 Appellatio ab interlocutoria gravamen continente reparabile si tamen cum difficultate magna reparatur.
- Idem si per appellationem a diffinitiva non reparatur in totum, nec perfecte.
- 117 Appellatio legitima ab interlocutoria tangente negotium principale, vel substantiam ipsius.
- 118 Sententia, qua terminus assignatur seu dilatio, est interlocutoria.
- 119 Appellatio legitima ab hac sententia terminum brevem, seu minus longum assignantem.
- 120 A sententia nimis longa dilatione concedente appellatur, si excedat terminum instatus, secus si non excedat.
- Salgado de Protec. Reg.

- Appellatur legitime a concessione termini, si causative pars gravatur, ibid.
- 121 Secunda dilatio in summariis non datur, nec sine causae cognitione, alias nulla legitime appellatur.
- 122 Appellatur legitime a denegatione termini ad probandum, & tali appellationi non deferentem iudicem vim fieri declarat Senatus.
- 123 Appellatio legitima a denegatione dilationis petita per Procuratorem, nomine filii patrimonialis se opponentis beneficio patrimoniali vocato ad certiorandum, cum sit in longinquis, ut veniat ad examen.
- 124 Appellatio legitima a coartatione terminorum a iure praescriptorum, veluti ad presentandum patrono datum, vel consanguineo ad retrahendam rem patrimonialem, vel similia.
- 125 Appellatio generaliter licita ab abbreviatione termini sine causae expressione.
- 126 Dilationem non petenti iudex dare non tenetur.
- 127 Parti imputatur non appellanti a denegatione dilationis petita.
- 128 Dilatione minus brevi concessa non datur nullitas, sed appellationis remedium, cum dilatio non sit ordinis substantialis iudicii.
- 129 Appellare licet a decreto revocatorio dilationis, cum revocari valet, si non appellatur.
- 130 Appellatio legitima ab injusta rejectione probationis, vel non admissione ad probandum.
- Rex per negotium efficitur dubia, ibid.
- 131 Iudex, cui nihil constat, nihil discernere potest.
- 132 Iudex condemnans non admissis probationibus, dicitur in dolo.
- In quocunque iudicio etiam summario, requiritur plena probatio, ibid.
- 133 Papa, nec alius condemnat absque debita probatione, cum sit contra jus naturale.
- 134 Non probans dicitur carere iure.
- 135 Iudex non admittente probationes, sed sine eis iudicante, nullum dicitur iudicium.
- 136 Procedit tamen si a tali denegatione admissionis probationis appelletur, alias tenet iudicium.
- A iudice negante beneficium legis licitum esse appellationem, ibid.
- 137 Sententia super admittenda, vel rejicienda probatione, est interlocutoria.
- 138 Ab interlocutoria, qua iudex partem excludit a probando, licite appellatur.
- 139 A nimis brevi termino dato ad probandum licite appellatur.
- In probationibus stat tota virtus causae, ibid.
- 140 Sententia lata super admittendis, vel rejiciendis articulis est interlocutoria.
- 141 A rejectione vel admissione articulo non pertinentium, vel impertinentium, licite appellatur, tanquam a prejudiciali.
- 142 Articulus est actus preparatorius ad probationem, sique de ipso iudicandum est, ac de ipsa probatione.
- Circa articulos, & probationes impertinentes rejectas non cadit appellatio, ibid.
- 143 Articulus una copia danda est ei contra quem testes producuntur, non tamen copia interrogatorum danda est producenti testes.
- 144 Appellatio licita a iudice dante copiam articulorum producenti testes.
- 145 Appellare licet a denegata remissoria ad testes examinandos.
- 146 Appellare non licet a concessione remissoriae ad examinandos testes in civilibus causis.
- 147 Appellare licet a tali concessione remissoriae in causis criminalibus.
- 148 & 149 Appellare non licet a tali concessione remissoriae in casibus, quibus iudex concedere potest secus in casibus, quibus non potest, & quales isti sunt remissive.